

quam primum eam a nobis repetat, quocunque demum modo etiamsi id immolatione fieri jubeat. Verum quidem est, vitam auctori suo deberi a nobis, si eam repetat, at repetit animam haud quidem voluntaria, quam naturalium legum nulla praecipit, nullum prudentiae humanae consilium suadet, sed ea morte, cuius necessitatem communis fragilitatis humanae conditio mortalibus imposuit. Turpe enim est militi, si Ciceronem sola ratione edoctum audias, iniussu imperatoris de statione decedere. Decedit autem *devotus* de statione sua non solum injussu Domini, sed eo quoque invito, utpote qui sapientissimo consilio vitam homini quovis bono cariorum esse, eamque, incredibili vivendi cupiditate in animis hominum insita, quoad per vires humanas liceat, a nobis defendi voluit. Accedit ad pietatis speciem insignis quoque amor erga vitae socios, quorum commodis ac saluti ut consuleretur, devotio peragi solita est. Verum nemo nescit, officia, quae aliis praestari solent ac debent, modum eorum, quae nobis ipsis debemus, excedere haud debere. Quis est igitur, quem pro se ipso mori juvet? divino enim vitae beneficio reliqua omnia longe sunt inferiora; et illo neglecto ac profuso, reliqua profunduntur ac perduntur omnia. Multo minus illa vitae profusio aliis prodesse potest, cum sanguis hominis per se, etiamsi pro aliis profusus, nulla salutis eorum merita habeat, sed summum potius Numen impietate, quae ad facinus illud accedit, ad iram provocet, et finem humanae vitae aliorum commodis inserviendi, negligit, iisque damna inferat maxima. Nec movere debebat fortes illos devotorum quondam animos tantopere jaectatus amor patriae, cuius non ea est natura, ut inde praesidium quoddam atque ornamentum petere sibi potuerit devotio. *Dulce* quidem FLACCO praeci-